



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

LVIII. Qualiter milites saeculares recipiantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

## LVII.

ANNO  
CHRISTI  
1127.*Vt fratres templi cum excommunicatis non participant.*

Hoc, fratres, valde cauendum atque timendum est, ne aliquis ex Christi militibus homini excommunicato nominatim ac publice aliquo modo se iungere, aut res suas accipere præsumat, ne anathema maranatha similiter fiat. Si vero interdictus tantum fuerit, cum eo participationem habere, & rem suam caritatiue accipere, non immerito licebit.

## LVIII.

*Qualiter milites sæculares recipiantur.*

1. Ioh. 4. Si quis miles ex massa perditionis, vel alter sæcularis sæculo volens renuntiare, vestram communionem & vitam velit eligere, non ei statim assentiatur, sed, iuxta illud Pauli, *probate spiritus si ex Deo sunt*, & sic ei ingressus concedatur. Legatur igitur regula in eius præsentia, & si ipse præceptis expositæ regulæ diligenter obtemperauerit, tunc si magistro & fratribus eius recipere placuerit, conuocatis fratribus desiderium & petitionem suam cunctis animi puritate patefaciat: deinde vero terminus probationis in consideratione & prouidentia magistri, secundum honestatem vitæ petentis, omnino pendeat.

## LIX.

*Vt omnes fratres ad secretum consilium non vocentur.*

Non semper omnes fratres ad consilium conuocare iubemus, sed quos idoneos & consilio prouidos magister cognouerit. Cum autem de maioribus tractare voluerit, vt est dare communem terram, vel de ipso ordine disceptare, aut fratrem recipere, tunc omnem congregationem, si magistro placet, conuocare est competens; auditoque communis capituli consilio, quod melius & utilius magister considerauerit, illud agatur.

## LX.

*Quod cum silentio orare debeant.*

Orare fratres, prout animi & corporis affectus postulauerit, stando vel sedendo, tamen summa cum reuerentia,